EXPLANATIO
DUORUM VETERUM DIPLOMATUM
QUAE IN MAGNO REGNI NEAPOLITANI
TABULARIO ASSERVANTUR

Auctore Josepho Canonico

PRESBYTERO NEAPOLITANO

In Almum Regale Theologorum Collegium Regiae Universitatis cooptato — In Cathedra Palaeographiae professore substituto — Et Regiae Academiae Herculanensi adscripto.



FASCICULUS PRIMUS

CONTINENS DIPLOMA HEBRAEO-RABBINICUM.







NEAPOLI 1854
EX TIPOGRAPHEO VIDUAE MIRANDA
Posito via lata dicta delle Pigne
Quod Angelus de Cruce moderatur.

VIRO AMPLISSIMO

SALVATORI MURAENAE

Qui
Ingenio consilio virtute potens
Interioribus Regni negotiis praefectus
Bonorum studiorum auctor fautorque
Patriam in primis litteraturam tuetur
Cuius impensa sedulitate
Antiqua rei tabulariae ratio apud nos floret
Joseph Canonico Presb. Neap.
In Cathedra Palaeographiae professor substitutus
Geminas veterum diplomatum tabulas
E publici Archivi penu depromptas
Et ad muneris exercitationem a se explanatas
Officii et grati animi ergo
Nuncupat
Auspici patrono vindici.





IPSUM DIPLOMA LITTERIS HEBRAEIS VOCALIBUS INSTRUCTIS EXPRESSUM.



---

(1) עֶמִּי עֹשׂוֹ —— עֶזְרֵנוּ מֵעִם יְהוָֹה עוֹשֵׂה שָׁמַיִם וָאָרֶץ׃

אֵלּוּ הַנְּדָרִים שֶׁנָּדַר (2) מָר שְׁלֹמֹה (3) בַּר דָּוִד (4) נע"

לְמֹר שְׁלֹמֹה בַּר דָּוִד (5) י"ל לָתֵת לוֹ אֶת יָעֵל בִּתּוֹ לְאִשָּׁה
בְּשַׁעַת (6) הַנִּישּׂוּאִין מִטָּה אַחַת (7) מַטְרָצוֹ וְקוּשִׁינוֹ (8) וְזוּג
סְדָנֵי מִפִּשְׁתָּן לְבָנִים (9) וְקוּטְרָא מִפִּשְׁתָּן לְבָנָה מִטָּה אֲחֶרֶת
מַטְרָצוֹ וְקוּשִׁינוֹ וְזוּג סְדָנֵי פִּשְׁתָּן לְבָנִים (10) וְקַרְפֵיטָא מַפּוֹת
רְחָבוֹת שְׁלֹשָׁה מִשֻּׁלְחָן שְׁלֹשָׁה מַפּוֹת (11) גְּוַארְדְּנֵפֵּי שְׁלֹשָׁה
מַפּוֹת מִפָּנִים מִצְנֶפֶת אֶחָד מִמֶּשִׁי (12) מְצוּיָּר מַפָּה אַחַת

מִמֶּשִׁי (13) אֲקַפְּצוּדָה (14) יוֹרָה אֶחָד מִשְׁקָלָהּ ה' (15) לְבֵרִים

מַרְחֶשֶׁת אֶחָד מִשְׁקָלָהּ ב' לְבֵרִים מַפָּה מֶשִׁי אֶחָד (16) יַרְדּוֹ
מֶשִׁי וְכָלֵךְ מִבִּרְכַּת הַשֵּׁם׃

וְאֵלּוּ הַנְּדָרִים שֶׁנּוֹדֵר מָר שְׁלֹמֹה הֶחָתָן בַּר דָּוִד לְמָרַת

יָעֵל כַּלָּתוֹ בִּשְׁעַת (17) הָאֵירוּסִין מַלְבּוּשָׁה אַחַת (18) שֶׁשְׁוִויָהּ
ח' (19) טַרִים (20) הַקָּנ' וְזוּג (21) אִינְפָּלָאוֹת וְזוּג נִזְמֵי כֶּסֶף
עִם פְּנִינִים עֶרֶךְ ע"ו טָרִים חֲגוֹרָה אַחַת מִכֶּסֶף עֶרֶךְ י"ב טָרִים
וְכֵן נָדַר שְׁלֹמֹה הֶחָתָן לָתֵת הַנְּזָמִים לְיָעֵל כַּלָּתוֹ (22) לְשָׁבוּעוֹת
הַבָּא קוֹדֶם וַחֲגוֹרָה לָתֵת (23) בַּחֲנוּכָּה הַבָּא קוֹדֶם וּמַלְבּוּשָׁה
וְזוּג אִינְפָּלָאוֹת (24) הַנִּזְכָּרוֹת נוֹדֵר דָּוִד אֲבִי הֶחָתָן לָתֵת
לְיָעֵל כַּלָּתוֹ (25) בְּפוּרִים הַבָּא קוֹדֶם וְכֵן נִשְׁבַּע דָּוִד אֲבִי הֶחָתָן
לְהָבִיא אֶת־בְּנוֹ אֶחָד שֶׁאִם (26) חַס וְשָׁלוֹם יִפְטַר הֶחָתָן קוֹדֶם
הַכַּלָּה (27) לַחֲלוֹץ בְּלִי (28) שׁוּם אוֹנֶס וּבְלִי שׁוּם (29) טְבִיעַת
מָמוֹן וְכֵן שְׁלֹמֹה אֲבִי הַכַּלָּה נָתַן (30) רְשׁוּת לְרִיקָה זוּגָתוֹ (31)
לָנִים יַעֲקֹב בְּנוֹ לְקַיֵּם כֹּל מַה שֶּׁכָּתוּב (32) לְעֵיל כְּעַצְמוֹ
וְכֵן נָדַר שְׁלֹמֹה הֶחָתָן לָשֶׁבֶת בַּזֶּה עִיר (33) סִימְרִי לְאַחַר
הַנִּשּׂוּאִין חֲמִשָּׁה שָׁנִים וְעוֹד נָדַר שְׁלֹמֹה הֶחָתָן הַנִּזְכָּר בִּשְׁעַת
הַנִּשּׂוּאִין מַלְבּוּשָׁה אַחַת בְּעֶרֶךְ ח' טָרִים הַקָּנ' וְכֵן נִשְׁבְּעוּ
בְּעֵינֵינוּ (34) בַּכְּנָם עֲשָׂרָה (35) אוּנְקִיּוֹת (36) חֶצְיָם לֶחָצֵר
וְחֶצְיָם לְחֵלֶק שֶׁיְּקַיְּמוּ כֹּל מַה שֶּׁכָּתוּב לְעֵיל (37) זְמַן לַעֲשׂוֹת
נִישּׂוּאִין שָׁנָה אֶחָד אַחַר הַפֶּסַח הַבָּא קוֹדֶם וְזֶה הָיָה יוֹם רְבִיעִי
בְּשַׁבָּת (38) וְאֵלֶּה הַמִּשְׁפָּטִים לַחֹדֶשׁ (39) שְׁבָט (40) שְׁנַת



קצ״ט וְהַכֹּל (41) שָׁרִיר וְקַיָּם:

יַעֲקֹב ב״ר יוֹסֵף נ״ע
(24) יְחֶזְקֵאל ב״ר כָּלֵב עֵד
נִסִּים ב״ר יַעֲקֹב נ״ע

אֵלִיָּה ב״ר יַעֲקֹב נ״ע
יַעֲקֹב ב״ר חַיִּים נ״ע
חַיִּים ב״ר שַׁבְּתַי י״ל
אַבְרָהָם ב״ר חַיִּים נ״ע
יִצְחָק ב״ר שְׁלֹמֹה י״ל

אֲנִי יִצְחָק ב״ר מֹשֶׁה דֵי לוֹקָאִירוֹ רוֹפֵא וְאוּמָן
אֲנִי מֹשֶׁה אֲחִי הֶאָרוּס מוֹדֶה כֹּל מַה שֶׁכָּתוּב לְעֵיל חָתוּם עַל יְדֵי סוֹפֵר
(43) יְשׁוּעָה ב״ר חַיִּים נ״ע
יִשְׂרָאֵל ב״ר מְנַחֵם (44) יצ״ו
אֲנִי נָבִיא ב״ר מַתִּתְיָה נ״ע עֵד



VERSIO LATINA

DIPLOMATIS HEBRAEO-RABBINICI.



Nostrum auxilium est a Domino factore Caeli et terrae.

HAE sunt promissiones, quas vovit domnus Salomon filius Rabbi Davidis iam defuncti domno Salomoni filio Rabbi Davidis adhuc viventis, nempe dare ei filiam suam Jaelem nuptum, et nuptiarum tempore ei tradere lectum unum, culcitam, pulvinum, duo lintea albi coloris linea, lodicem albam lineam; alium lectum, culcitam, et pulvinum, et duo lintea alba linea, et parvum thoracem (vulgo dictum *corpetto*), et mappas latas, quarum tres pertinent ad mensam, tres ad labiorum sordes in convivio abstergendas, tres ad vultum tergendum, sudariolum sericum coloratum, pannum ex serico confectum, quod vulgo appellatur *a capisciola*, lebetem unum, qui libras quinque appendit, sartaginem unam, quae appendit duas libras, pannum sericum unum exaequantem iardum serici: et haec omnia cum Dei benedictione.

Atque hae sunt promissiones, quas fecit domnus Salomon sponsus filius Rabbi Davidis, dominae Jaeli suae sponsae tempore sponsalium, scilicet dare vestem unam, quae octo tarenos pro singulis calamis valeat, et par calceolorum, et par inaurium argenti margaritis instructarum, quod sex et septuaginta tarenos valeat; cingulum unum argenteum, quod valeat duodecim tarenos. Et pariter promisit Salomon sponsus dare inaures Jaeli suae sponsae Sciavuod proxime futuro, et cingulum dare Canucà proxime futuro: et vestem et par calceolorum praedictorum David pater sponsi promittit dare Jaeli nurui suae Purim proxime venturo. Et pariter iuravit David pater sponsi se filium suum adducturum, si sponsus, quod longe absit, et pax sit ipsi, moreretur, antequam sponsa vita cederet, ad solvendum (calceum) sine ulla vi, et pecuniae postulatione. Et pariter Salomon pater sponsae sinit Riccae uxori suae cogere Jacob filium suum, ut omnia, quae supra scripta sunt, rata haberet, tamquam si ab ipso statuta essent. Et pariter promittit Salomon sponsus heic habitare in Urbe Semiri post nuptias quinque annos.

Et insuper promisit Salomon sponsus praedictus tempore nuptiarum vestem unam, quae pro singulis calamis octo tarenos valeat. Et sic iurarunt sub duodecim unciarum mulcta, quarum dimidium solvatur Hebraeorum universitati, et dimidium parti, ut roborentur omnia quae supra scripta sunt.

Tempus autem, quo fieri debent nuptiae, erit annus a Paschate proximo futuro. Atque id statutum fuit die quarta hebdomadae Veelle Amispatim mense Scevàt anno 199. Ac totum est firmum et clarum.

Jacob filius Rabbi Joseph bonae memoriae
Ezechiel filius Rabbi Caleb testis
Nissim filius Rabbi Jacob bonae memoriae
Elias filius Rabbi Jacob bonae memoriae
Jacob filius Rabbi Caim bonae memoriae
Caim filius Rabbi Sciabatai, quem Dominus servet
Abraham filius Rabbi Caim bonae memoriae
Isaac filius Rabbi Salomonis quem Dominus servet

Ego Isaac filius Rabbi Moysis Cairi medicus et chirurgus.

Ego Moyses frater sponsi confiteor omne id, quod supra scriptum est, et signatum manu notarii Jesciuà filii Rabbi Caim, quem Deus servet et vivificet.

Ego Navi filius Rabbi Mathatiae bonae memoriae testis.

ADNOTATIONES

IN DIPLOMA HEBRAEO-RABBINICUM.

---

(1) Character, seu forma litterarum, qua haec chartula bombycina descripta est, ab Hebraeis כתב רשי scriptura Rasci nuncupatur, accepto nomine a Calligrapho et auctore Rasci, seu plene Rabbi Salomone Jarchi, Natione Gallo, Patria Trecensi, qui has litterarum notas in Germaniam et Poloniam induxisse fertur, commentarios enim suos in Vetus Testamentum notissimos hisce litteris exaravit, quem dein plures alii secuti sunt. Vixit Rasci ab anno Christi 1030 ad annum 1105.

Haec chartula, quam Hebraei vocant שטר תנאים instrumentum pactorum, continet conditiones dotis constitutae, et ab alia distinguitur, quae שטר כתובה instrumentum dotale proprie dicitur, quae dotem numeratam respicit.

Quae priores notae in ipso chartulae initio positae, signa sunt compendiaria, seu breviationes, queis totidem verba repraesentantur. Et sane solent Hebraei ex duabus vel pluribus dictionibus initiales quasque litteras secernere, easque ita copulare ut in unum corpus coalescant; quibus deinde singulis apices addendo innuunt unicuique litterae suam peculiarem vocem respondere. Quare non immerito has litteras ipsi appellant, ראשי תיבות initia vocum. Hisce notis compendiariis usi sunt tabelliones apud Hebraeos, ut divinae invocationis formulam initio privatorum contractuum et instrumentorum significarent. Quem morem huius instrumenti nota-

rius sequutus, scripturam auspicatur notis compendiariis, quae Dei invocationem innuunt.

(2) מ׳ר vox Rabbinica, dominus.

(3) Vox בר est nota compendiaria, quae valet בַּר רַבִּי filius Rabbi.

(4) Vox נע est nota compendiaria significans נוחו עֵדֶן requies eius sit paradisus, qua utuntur Hebraei, ut ostendant personam, de qua loquuntur, iam vita decessisse.

(5) Vox יל est nota compendiaria, siquidem י est littera initialis vocis יִשְׁמְרֵהוּ, id est servet eum, et ל est littera initialis vocis לְחַיִּים inter vivos. Heic autem ante eiusmodi verba subaudiendum est nomen אֵל Deus: ut significetur « Deus servet eum inter vivos » quibus verbis denotant Hebraei, personam, quam nominant, adhuc in vita esse.

(6) הַנִּישׂוּאִין vox Rabbinica nuptias denotans, quae derivat a verbo נָשָׂא, tulit, recepit.

(7) מַטְרָצוֹ necnon קוּשִׁינוֹ sunt nomina ex italico idiomate desumpta, quae sonant *materasso*, *cuscino*.

(8) זוג, וְזוּג vox Rabbinica, quae nomini hebraeo צֶמֶד, par, respondet.

(9) קוֹטְרָה, וְקוֹטְרָא, est vox ab italo sermone accepta, scilicet *coltre*.

(10) קָרְפֵּיטָה וְקָרְפֵּיטָה, vernacula Italorum lingua idem est ac *corpetto*.

(11) גוארדינפי est vox composita ex גורדין, vocabulo italo, id est, *guardin*, et פי nomine hebraeo, videlicet ora. Hinc מפות גורדינפי denotat mappas pertinentes ad ora, italice *salviette* nuncupatas. Quod cum ita sit, aperte patet, cur nobis visum sit has voces per παραφρασιν ita reddere, scilicet mappas ad labiorum sordes in convivio abstergendas.

(12) מצויר coloratus, vox Rabbinica, pro qua Hebraei dicunt צבוע.

(13) אקפצודה, hoc est a capisciola, quae vox Neapoli apud vulgus usitata significat folliculum bombycinum pectine ferreo, vel alio modo solutum.

(14) יורה, nomen Rabbinicum, teste Daniele de Pomis in suo lexico inscripto « צמח דוד germen David » est

כלי של נחשת פאיולה או קלדיה בלשון לעז:

vas cupreum *paiola* vel *caldaia* lingua apud nos vernacula dictum.

(15) לברים, *libre*, id est pondus XII unciarum, vox ab italo sermone deprompta.

(16) ירדו Anglorum mensura linearis, *Yard* appellata, tres palmarias, nostrates longitudines, (vernacule apud nos: *palmi*) addito dimidio, exaequans.

(17) האירוסין, vox Rabbinica, quae denotat sponsalia, et proficiscitur a verbo ארס desponsavit, cuius

significatio alia non est, quam duarum personarum, viri et foeminae, de futuris nuptiis, consensus et repromissio, certis legibus et ritibus definita.

(18) שְׁשׁוּיָה, vox Rabbinica, pretium rei exprimens, quod venditae rei est aequatio et comparatio.

(19) טָרִים nummus argenteus neapolitanus, qui duos carolenos valebat, tarenus appellatus (vide sis Caesaris Antonii Vergarae opus inscriptum « *monete del Regno di Napoli*, necnon dissertationem cl. Salvatoris Fusco in nummum Regis Rogerii, qui ducatus dicebatur).

(20) הָקָנָה, scilicet a canna, quae mensuram longitudinis neapolitanam octo palmos aequantem significat.

(21) אִינְפְּלָאוֹת pro אַנְפִּילִיאוֹת, vox Rabbinica, quae ut ait praefatus David de Pomis in suo lexico, denotat, מִנְעָלִים קְטַנִּים, i. e. calceolos.

(22) לְשְׁבוּעוֹת, vox שְׁבוּעוֹת plurativa nominis שָׁבוּעַ septimana, significat festum Hebraeorum, quod ipsi appellabant festum septimanarum, nam post septem hebdomadas ab altero die Paschatis, scilicet die XVI mensis Nisan, numeratas agebatur. Ab Hebraeis Hellenistis vocabatur πεντηκοστη, nempe ημερα, quinquagesimus dies, siquidem, haec sollemnitas quinquagesimo a Paschate die celebrabatur. Eiusmodi festum, quod fuit institutum ad perpetuandam memoriam legis a Deo in monte Sinai, quinquagesimo die ab exitu de Aegypto, acceptae, unius diei spatio continebatur, in quo offerebantur tanquam primitiae duo panes farinae novi frumenti, et decima pars ephae eiusdem farinae (Lev. XXIII v. 17). Id ipsum celebrant nunc Hebraei per biduum ex Rabbinorum iussu, quo tempore piis precationibus dant operam, atque ab operibus servilibus omnino vacant.

(23) בַּחֲנוּכָּה, vox חֲנֻכָּה quae dedicationem signi-

ficat, festum Hebraeorum innuit, ab Hellenistis εγκαι-νια i. e. innovatio nuncupatum, quod a Juda Maccabaeo anno circiter CLXII. ante Christum natum in memoriam Templi denuo dedicati et consecrati institutum est (Mach. I. cap. XVIII v. 59) Celebrabatur hoc festum quotannis per octo continentes dies a quinto et vigesimo mensis Chislev. Hodie Hebraei totius festi sollemnitatem eo adduxerunt, ut eius ritum una candelarum accensione absolvant. Unusquisque enim toto eo die, habet domi candelabrum octo facibus oleo puro, ardentibus instructum, easque ita accendunt, ut prima nocte accendant facem unam, altera duas, tertia tres, et sic porro usque ad octavum diem, quo omnes octo lampades pellucent. Neque his diebus, opera manuum, quemadmodum die sabbati et in ceteris festis fieri solet, cessant; licet enim laboribus vacare, dummodo id non ad lampadem festi fiat, ideirco ad domesticos usus alia utendum est lampade.

(24) הַנִּזְכָּרוֹת habet post litteram nun iod superfluum.

(25) בְּפוּרִים, vox פּוּרִים est pluralis nominis Persici פּוּר sortem denotantis, sic enim explicatur Esther cap. III v. 7 פּוּר הוּא הַגּוֹרָל pur est sors. Id nominis datum fuit festo, quod Mardochaeus instituit in memoriam liberationis Judaeorum ab internecione, quam Rex Assuerus auctore Aman, pessimo eorum hoste decreverat; sortes enim iecerat hic regius Satrapes, ut diem praestitueret, quo omnes Judaei per universas Regiae ditionis provincias delerentur. Celebrabatur autem id festum per biduum, scilicet XIV et XV die mensis Adar; ita tamen ut primus dies solemnior quam alter esset: his enim diebus Judaei de inimicis suis ultionem ceperant, eorumque luctus atque tristitia in hilaritatem et gaudium conversa fuerant. Statuerat praeterea Mardochaeus, ut hi dies quotannis apud Judaeos laetitiae et

epularum, atque solemni in honore essent: ut legitur Esther. cap. IX.

Hoc festum hodie sic ab Hebraeis agitur. Pridie solemnitatis, die nempe XIII mensis Adar, quo incidit novilunium mensis Februarii, ieiunium celebrant. Quod si Sabbato occurrat Purim, praecipiunt ieiunium feria quinta, nam si id fiat die veneris, quo Sabbaticus cibus coquitur, et necessario praegustandus est, caussa sit cur inediam parum religiose servent. Hoc eodem die post vesperam Synagogam adeunt, ubi pro concione recitatur liber Esther, in quo legendo quotiescumque occurrit nomen Aman, cuncti clamant, יִמַּח שְׁמוֹ deleatur nomen eius. Hoc ritu peracto, omnes et singuli dicere tenentur:

אָרוּר הָמָן meledictus sit Haman:

בָּרוּךְ מָרְדְּכַי benedictus sit Mardochaeus.

Deinde quisque domum repetit, et in coena non solum carnibus, verum etiam lacticiniis vescuntur. Summo mane sequentis diei, qui est decimoquartus Adar, in Synagogam denuo conveniunt, Hamanis historiam relegunt, et quod biduum festi superest, conviviis, otio, et ludis impendunt.

(26) Vox חַס longe absit, est paraphrasis Chaldaea verbi hebraei חָלִילָה, ut colligitur ex Geneseos capite XLIV v. 7, ubi voces illae חָלִילָה לַעֲבָדֶיךָ, secundum paraphrasim Chaldaeam redduntur, חַס לְעַבְדָךְ absit a servis tuis. Insuper vox וְשָׁלוֹם secundum pacis omen significat. Quibus verbis David fausta praenuntians praeter mortis tarditatem sponso pacem etiam precatur.

(27) לַחֲלוֹץ ad extrahendum. Ut id intelligatur, e re esse videtur, heic animadvertere, apud Judaeos, quemadmodum legitur Deuteronomii cap. XXV v. 5, in more fuisse positum, ut si quis nullis relictis liberis decederet, frater ipsius defuncti viduam duceret, fratrisque semen excitaret. Quod si illam ducere nollet, ipsa eum trahebat ad portas urbis coram loci iudicibus, ibique haec verba proferebat: (Deut. cap. XXV v. 8) « non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel; nec me in coniugem sumere ». His verbis nuncupatis si levir respondisset, se nolle eam ducere, mulier vincula calcei illi solvebat, calceoque ipsius pedem exuebat: tum coram facie eius in terram exspuendo, adiiciebat verba, quae Deuteronomii citato capite leguntur, scilicet « sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui »: quo ex tempore leviri nomen appellabatur « בֵּית חֲלוּץ הַנָּעַל, domus eius cui detractus est calceus. Inde factum est, ut a nomine חָלוּץ totus hic actus sollemnis a Judaeis חֲלִיצָה dictus inveniatur. Idcirco David pater sponsi cum heic iureiurando polliceatur se adducturum esse filium suum ad exsolvendum, si sponsus ante sponsam moreretur, hoc ita intelligi debet, se in hoc casu operam daturum, ut filius suus actum חֲלִיצָה nuncupatum, perficeret. Enimvero cum ex Rabbinorum institutione vetitum sit Hebraeis Europam incolentibus plures simul uxores habere; sequitur fratrem viri defuncti sine liberis, qui matrimonii vinculo obstrictus sit, non posse illius viduam superstitem ducere. Quamobrem חֲלִיצָה facere tenetur, ut fratris demortui vidua cum alio nuptias ineat. Quapropter David praedictus promittit filium suum patraturum hunc actum, et quidem sponte, et nulla

exacta pecunia, si tempore, quo sponsus diem obiret suum, uxore sine liberis relicta, ipse vinculo coniugali obstrictus esset.

(28) שׁוּם vox Rabbinica, quae aliquis denotat, et cum particula לֹא non, nullus, et cum praefixo מ propter.

(29) תְּבִיעָה vox Rabbinica, quae infixionem, postulationem significat.

(30) רְשׁוּת vox Rabbinica permissionem significans, pro qua Hebraei dicunt רִשְׁיוֹן

(31) לְגַנִּים vox Rabbinica, infinitum iphnghil cum lamed praefixo, ad cogendum, quod a verbo hebraeo אָנַס adegit, derivat. Animadvertendum est verba, quae heic in chartula leguntur, ostendere velle, Salomonem patrem sponsae Jaelis copiam dare Riccae uxori suae, ut, si ipse mortuus fuerit ante nuptiarum celebrationem Jaelis cum Salomone, cogat Jacobum filium suum ad promissorum exsecutionem tempore, quo nuptiae contrahuntur.

(32) לְעֵיל supra, vox Chaldaea, quae pro hebraea לְמַעְלָה ponitur.

(33) סִימָרִי Semirum Calabriae ulterioris terra, in Cataciensis dioecesis finibus posita.

(34) בִּכְנָס pro כ lege ק, vox enim קְנָס, quae est Rabbinica, mulctam denotat.

(35) אוּנְקִיּוֹת unciae, vox Rabbinica, quae nummos indicat triginta tarenis siculis constantes, ac proinde ducatis quatuordecim, et assibus septem et quadragiuta

aeris neapolitani, quo hodie utimur, respondentes (Vide dissertationem supradictam cl. Salvatoris Fusco)

(36) חציים pro חצים dimidium earum.

(37) זמן לעשות haec verba cum sequentibus usque ad vocem קודם, quae significant, tempus, quo fieri debent nuptiae, erit annus a Paschate proxime futuro, innuunt morem Hebraeorum vetustissimum, quo a sponsalibus usque ad nuptias intervallum decem vel duodecim mensium relinquebatur.

(38) ואלה המשפטים et haec iudicia. Verba heic citata, quibus incipit caput XXI Exodi, innuunt in illam hebdomadam qua chartula perscripta fuit, incidere פרשה i. e. eam Pentateuchi sectionem in Synagogis publice legendam, quae eo nomine donatur. Sane Hebraei in quatuor et quinquaginta sectiones maiores, פרשות nuncupatas, Pentateuchum dividunt, pro numero hebdomadarum, quibus annus מעוברת dictus, i. e. intercalaris, apud illos constat. Quo fit ut unam ex his sectionibus singulis sabbatis in synagogis legentes totius Pentateuchi lectionem anni intercalaris spatio absolvant. At enim in anno פשוטה appellato, nempe vulgari, qui constat quinquaginta hebdomadis et quatuor diebus, Hebraei etiam totum Pentateuchum pervolvunt. Quomodo igitur vulgaris anni decursu ipsum absolvere poterunt? Absolvunt nimirum in annis vulgaribus, coniungendo aliquoties binas brevissimas sectiones, quales sunt ultimae Deuteronomii. Haec autem sectionum Pentateuchi coniunctio aliquando fit etiam anno intercalari, cum scilicet unum ex festis maioribus in Sabbati diem incidat; tunc enim sectio propria festi, eo sabbato legitur, et sectio sabbati

cum illa sabbati insequentis copulatur. Quamobrem sicut in annis intercalaribus, sic et in vulgaribus incipiunt lectionem Pentateuchi primo sabbato post festum Tabernaculorum, eamque finiunt anno sequenti die tertio et vigesimo mensis Tiscri, qui postridie diei octavi festi Tabernaculorum recurrit.

Jam vero Pentateuchi sectiones a prima voce qua initium habent, vel a prima voce maxime emphatica nomen accipere solent. Qua de re sectio Pentateuchi, quae in Synagoga Hebraeis legenda occurrebat illa hebdomada, qua isthaec chartula fuit exarata, a suis primis vocibus, queis incipiebat, dicebatur ואלה המשפטים et haec iudicia.

(39) שבט undecimus mensis anni sacri, quem Hebraei a mense Nisan, seu Martio, incipiunt. Hinc nostro Januario respondet.

(40) שנת קצט anno 199. Heic numerus millenarius more Judaico penitus omittitur: ac proinde pro 5199 dicitur 199. Enimvero Hebraei in vulgaris suae Epochae calculo, quam a Mundi creatione ducunt, saepe omissis millenariis centenarios, denarios, et monadicos supputant, addita plerumque nota compendiaria לפ״ק, hoc est, לפרט קטון secundum computum minorem. Haec Aera iudaica autem facile ad Aeram christianam reduci poterit. Nimirum Hebraei numerant annos ante christum natum 3761, quos si demas a numero praefato 5199, annum Christi reperies, scilicet 1428, quo Joanna secunda Andegavensis regnum neapolitanum gubernabat. Jam porro licet in hujus chartulae calce locus non indicetur, quo perscripta fuit, tamen ex verbis, quae in ipsa leguntur, scilicet = et pariter promittit Salomon Sponsus heic habitare in urbe Semiri post nuptias quinque annos = deducitur hanc chartulam Semiri fuisse

exaratam, ubi Salomon spondet se habitaturum esse.

(41) שְׁרִיר Vox rabbinica denotat stabile, firmum.

(42) יְחֻזְכֵּל nomen proprium, Ezechiel perperam scriptum pro יְחֶזְקֵאל

(43) יְשׁוּעָה nomen proprium, vitiose exaratum, pro יְשׁוּעַ

(44) יצ״ו nota compendiaria tres voces exprimens, i. e. י, יִשְׁמְרֵהוּ, quem servet, צ, צוּרוֹ factor suus ו, וִיחַיֵּהוּ et vivificet eum.



CONSIGLIO GENERALE

DI PUBBLICA ISTRUZIONE.

Rip.° *Car.°*

N.° 9.

Oggetto.

Napoli 17 giugno 1854

Vista la domanda del tipografo Angelo della Croce con che ha chiesto di porre a stampa varî diplomi, incominciando da quello intitolato — *Explanatio veterum Diplomatum quae in magno regni neapolitani tabulario asservantur,* del sig. D. Giuseppe Canonico.

Visto il parere del R. Revisore P. Maestro D. Giuseppe Ferrara.

Si permette che la detta opera s'incominci a stampare; però non si pubblichi, senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso R. Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Presidente
Monsignore D. Franc. Sav. Apuzzo,
Il Segretario
Giuseppe Pietrocola.